



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

IV. Calviniani Ministri missionem seu vocationem suam probare non  
possunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

IV. Idem omnes alii minorum, ut ita dicam, gentium Ministri passim fecerunt, qui vel sua ipsorum auctoritate Geneva prorepentes, vel à solo quam Calvino aut aliis, qui ipsi nullam missionem habebant, missi, docendi in Ecclesia munus sibi sumpserunt, sub illo prætextu, quod domum Dei, totam, si istis credere volumus, conspurcatam ac corruptam, expurgare ac restaurare vellent. Calvino nepe in mentem non venit, Prophetas omnes maxime vigente in populo Dei idololatria, in synagogis camen fuisse versatos (tantum abest ut eas destruere conati fuerint, ut Calvinistæ jam faciunt) uti nec id quod ipse scripserat, scilicet ab Ecclesiæ unitate discedendum non esse, etiamsi aliqua vitia & errores in eam irrepserint; modo fundamentum, quod Iesus Christus est, integrum maneat. Quamdiu enim Ecclesia est, divorcium cum ea facere minime licet, quamvis sive hominum malitia, sive negligentia Pastorum sive Principum conniventia, sive denique temporis longinquitate complures in eam irrepserint abusus. At Calvinus, Donatistarum aliorumque suorum majorum ac prædecessorum exemplo, Ecclesiæ repudium aperte misit; cum illis ipsis distans, sponsam illam Christi non amplius eandem esse quam olim, sed multis novis ac rugis deformem, ac sordibus contaminatam. Hoc est quod Beza in omnibus suis scriptis ad nauseam usque inculcat. Recte tu, mi Theodore. Eodem enim jure uxorem tuam dimittere ac utres suas sibi haberet jubere poterat, postquam scilicet ex Candida illa versibus tuis tam honorifice decantata, anus edentula ac rugosa facta est; postquam narius ille genarum rubor in pallorem abiit, postquam scilicet candidæ illæ fauces nigredine contraxerunt, postquam denique omnis ille formæ decor emarcuit. At Ecclesia nequaquam desinit eadem esse Ecclesia, quæ olim durante primo illo vigore ac pulchritudine fuit; non minus quam sponsa, etiam amissa pristina quam nuptiarum tempore habuit formæ venustate, sponsa tamen atque uxor mariti manet. Sed inquis, Esto: nil tamen prohibet quo minus novum ei ornatum addamus. O egregios ornatores! Credo, ut ornatiore esset Ecclesia, caput ei amputare, ac jugulum ferire voluistis. Boni isti reformatores ejus exemplum imitari mihi videntur, qui quum vicini domum negligenter custodiri videret, eam ipse invasit, ac legitimè dominum eiecit. Aut illius, qui vicini domo ardente, non aquam, sed ligna & oleum ad restringendum scilicet incendium, apportavit. Dicitis vos,

Ecclesiarum Pastores in faciendo officio negligentes fuisse. At cur non eosdem bono vestro exemplo excitatis? Putanda arbor est; non excindenda. Everrenda domus est, non evertenda. Corrigendus homo est, non occidendus. Quis vobis invadendi propria vestra auctoritate Ecclesias jus concessit? Quod si decem aut duodecim Iurisperiti à schola adhuc recentes, Præsides alicujus Curie & senatores comprehenderent, eisque eiecit, & assumpti Iudicum habitu, tribunal occuparent, causati Iustitiam hætenus non uti oportebat exercuisse, vel leges non intelligere: an recte hos fecisse diceris? Si temerarius ille fatuus, qui purpuratis illis Parisiensis Curie, quæ semper ipsius Iustitiæ templum fuit asyllum, Patribus impiis & sacrilegæ manus injicere ausus est, eorum quos velut in triumphum duxerat, & Bastilianæ arci incluserat, munus usurpare voluisset, an vos Acta ejus & asseclarum tamquam regii & legitimi in regno nostro magistratu approbassetis? Quis vero unquam Prophetæ vel Apostolus sine vocatione Verbû Dei annunciaré, ac Pastoris munus vindicare sibi atque exercere ausus est? Recordamini, Domini Ministri, quæ Deus ejusmodi hominibus apud Prophetam Hieremiã miniteretur, nec dubito quin, si non plane collû obduxerit vestra conscientia, divini iudicii metus animas vestras vehementer sic percussurus.

V. Theologus quidam Gallus Catholicus, Bononia Anno MDXLIIX. in patriam revertens, quum per Genevam iter faceret, atque intellexisset Calvinum Episcopi ibi munus usurpare, hominem adit & de ipsius vocatione privatim sermonem contulit, sed aliud responsum exculperé non potuit quàm id quod olim Donatistas S. Augustino dedisse ferunt; scilicet, moris quidè in Ecclesia fuisse ut Ministri ordinaria quadã via ad munus id vocarentur, sed tum quum Ecclesia esset visibilis, & ad divinæ legis normam instituta; se vero quum nequaquam talem, sed penitus corruptam ac depravatam, immò sine ulla Ecclesiæ formæ invenerint, ministerium suscipere atque ad alios vocare necessario coactos esse. Hæc eadè veterum hæreticorum vox fuit, dicentium, Totum Mundum corruptum, atque omnè sinceræ Christianæ religionis formam esse abolitã; quæ sola apud ipsos sana & integra reperitur. Ergo nullus amplius (inquit Espenæus, cujus singularis doctrina postea tam in sermonibus quam variis disputationibus enituit) nullus ergo, inquit, in orbe amplius fuit Christianus? Ergo Ecclesia id unû egit, ut infernû civibus impleteret? Ergo demû

ante